



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Tribunal Poenitentiæ Sev Libri Dvo Prior De Poenitente Ut
Reo Posterior De Confessario Ut Judice**

Stoz, Matthäus

Anno M.DC.LXXXIX.

Art. I. De Confessarij Obligatione audiendi confessionem.

urn:nbn:de:hbz:466:1-37144

ART. III. De Officio Confessarii circa Pœnitentiam injungendam. 71

faciat, si pro gravissimis peccatis levissimas pœnitentias injungat, quia agit contra officium & qui Judicis, boni Medici, & fidelis Dispensatoris Mysteriorum DEI, præbetque occasionem, ut pœnitentes peccata minoris astiment, liberiusque ea committant, adeoque ipse, & quidem, ut Palao *cit. p. 11, §. 3, n. 9.* ait, *absque dubio mortaliter peccet;* & propterea teneatur salutares, ac pro qualitate criminum, & pœnitentium facultate convenientes satisfactiones injungere, juxta Trid. l.c. Ex prædictis tamen satis patet, quod pœnitentia adhuc possit esse salutaris, & conveniens, quamvis pro gravitate delictorum, si præcisè secundum se spectentur, sit multò minor.

Sicut etiam præterea minui potest pœnitentia I. si pœnitens videatur per eam posse alluci ad frequentiorem Confessionem, ipsi valde utilem. Bonac. l.c. n. 18. II. si pœnitens jam antè sit lucratus aliquas indulgentias, vel videatur proxime lucraturus; vel certè ei imponatur, ut conetur lucrari, sicut hodie passim ubi vis ferè quivis lucrari potest. III. Si Confessorius velit post abolutionem dicere Orationem, *Pax Domini,* & in ea per illud: *Quidquid boni feceris, & malo sustinevis &c.* injungere aliqua opera, si quæ postea adhuc facturus est pœnitens: ut *sup. n. 115. & seqq.* sufficienter ab autoritate & ratione ostendum est. Ut proinde non possim non mirari, quod Card. Lug. de pœnit. *Diss. 25. n. 57.* scriperit, non videri sibi hanc doctrinam esse probabilem. IV. quia ipsa confessio est opus valde satisfactorium, utpote valde grave, & arduum. Ideo Confessorius, eti sciret, quodnam opus pœnale

R. P. Stoß Trib. Pœnit. Lib. II.

esset æquale pœnae pro remissis peccatis debitæ, tamen nondeberet illud, sed aliud levius imponere ratione factæ confessionis; ut & propterea V. quia quodvis opus honestum præter vim satisfactoriam, quam ex se habet, acquirit insuper etiam vi Sacramenti adhuc aliam ex opere operato, adeoque tunc plus vallet & satisfacit, quam per se, & ex opere operantis potest. Dicast, *cit. Diff. 14: num. 33.*

Ex dictis hoc & præced. num. patet quam rectè procedat, & justè excusat hodierna praxis, quæ leves pœnitentiae, ut inquit Lugo l.c. n. 60. imponuntur pro gravissimis peccatis.

An & quomodo Confessorius pœnitentiam ab alio, vel à se ipso injunctam, vel ipse etiam pœnitens possit sibi commutare in aliquid aliud, dictum est *sup. l.c. p. 4: num. 10.*

Q U A E S T I O N E IV.

De quibusdam aliis obligacionibus Confessarii.

Præter eas, quæ ad officium Confessarii spectant, & præced. Quæst. explicatae sunt, supersunt adhuc multæ & variæ. Reducendo omnes ad paucas. 1. est obligatio audiendi pœnitentem, ejusque confessionem. 2. instruendi. 3. sanandi. 4. commissos proprios errores corrigendi. 5. Sigillum servandi.

A R T I C U L U S I.

De Confessarii obligatione audiendi Confessionem.

K

§. I.

§. I.

Quis? quando? & sub quo peccato teneatur audire confessiones?

122. Sacerdos, quamvis omnia habeat requisita, ut, si velit, possit audire confessiones, sed officium, cui cura animarum sit annexa non habeat, non tenetur confessionem excipere; nisi pœnitentis in extrema, vel etiam gravi necessitate constituti: tunc enim Lex Charitatis obligat; ut: cum moribundus alium Confessarium habere non potest, vel non sine magna difficultate.

At vero Parochi, quorum nomine etiam intelliguntur Curati, Provisi, aliique similes, quibus ex officio cura animarum pro foro interno incumbit, tenentur audire confessiones suorum subditorum, non tantum in casu necessitatis, sed etiam quotiescumque isti justam confitendi causam habent, & eo tempore, ac loco pertinent, quo Parochus non est aliiis gravibus negotiis impeditus, maximè iis, quæ ad bonum commune Ecclesiæ sua spectant, ut sunt Conciones, Missæ, funera &c. Laym. lib. 5. tr. 6. cap. 13. n. 2. Palao de pœnit. Disp. un. p. 19. §. 1. n. 3. Dicast. Disp. 10. n. 480. vide sup. l. 1. p. 3. n. 491. Ratio, quia Parochus est pastor, & pater spiritualis suorum parochianorum; atqui nec Pastor, nec Pater bene agit, si uterque commodè possit, sed ille nolit ovibus, quæ ad ipsarum bonum spectant, ministrare, nisi in extrema, aut gravi necessitate; & iste liberis suis, etiam penitentibus velit in eoc tantum opem ferre, ad quod sub mortali est obligatus.

Justa autem confitendi causa esse pa-

test. 1. cum urget aliquod præceptum; 2. cùmpœnitens est sibi conscius peccati mortalisi. vel 3. jam diu non confessus; vel 4. habet singularem devotionem erga aliquod Festum; vel 5. vult lucrari indulgentias; vel 6. suscipere longum aut pericolosum iter, aliudve grave negotium; vel 7. putat sibi utile ad vincendam aliquam tentationem.

Neque tamen propterea statim censetur debet Parochus peccare mortaliter, si in istis casibus, excepto primo, semel atque iterum absque legitima causa nolit excipere confessionem unius aut plurium ex suis Parochianis. Dicast. & alii contra Bonac. h̄c Disp. 5. q. 7. p. 4. §. 2. n. 23, quia per hoc nondum censetur notabiliter negligens in suo officio. Satisfaciunt autem Parochi, sive per se, sive per alios audiunt suorum confessiones. Cum ergo hodie Parochiani habeant ubique fieri tam faciliem aditum ad Religiosos, possintque iis confiteri, recte Palao l. 6. n. 4. ait, Parochos vix posse mortaliter peccare, si extra extremam necessitatem ipſi suos non audiant, sed ad Religiosos remittant.

§. II.

Quis? & quomodo tempore pestis?

123. At vero tempore pestis, que, cum haec scribo, miserè depopulata est aliquot Germania Provincias, tenetur Parochus etiam cum periculo vitæ suis Parochianis assistere, eorumque audire confessiones, quia ex officio boni Pastoris debet animam suam seu vitam pro ovibus suis ponere, & non potest tunc sicut mercenarius fugere. Joan. 10. aut velle beneficium invitatis subditis resignare; nisi vel ipse, vel com-

communitas alium idoneum Sacerdotem substituat. Laym. l. 2. tr. 5. cap. 3. n. 3. V. His adde. Palao de Charit. Disp. 1. p. 9. n. 12. & 13. Tenetur autem Parochus audire confessiones non tantum eorum ex subditis, qui in extrema necessitate sunt constituti, seu, qui ob ruditatem non sciunt, nec possunt elicere perfectam contritionem (quia & nos, & alii omnes debemus pro fratribus in tanto periculo constitutis animas seu vitas ponere. 1. Joan. 3. v. 16.) sed etiam aliorum, qui tantum in gravi necessitate sunt, seu, qui perfectam contritionem possunt quidem elicere, sed non sine gravi conatu & difficulter. Laym. & Palao ll. cc. Bonac. Tom. 1. Disp. 3. q. 4. p. 4. n. 5. ubi V. Addo. dicit, Parochum non satisfacere, si tantum exspectet, donec vocetur, sed teneri inquirere, quinam graviter indigeant. Sequatur praeuentem S. Carolum Borromaeum, qui etsi fuerit Illustrissimæ familie, Archiepiscopus, & Cardinalis, tamen non abhorruit, peste per Urbem Mediolanum miserè grassante, insectos ipse adire, iisque Sacraenta administrare. Qui fuit in terris exemplo, jam erit è celis præsidio.

124. Ad hoc onus autem levius ferendum, non parùm jvari potest Parochus, si seqq. doctrinas, & industrias à Laym. l. 5. tr. 6. cap. 13. n. 4. Palao de pñit. Disp. m. p. 19. §. 1. n. 5. & seqq. Gob. tr. 1. à n. 116. Chapeavill. Zambr. & aliis traditas observeret. I. sicut antidotis contra pestem necessariis, (quæ præbere debet communitas) ita vel maximè fiduciā in DEUM, & charitate erga proximum se ipsum muniat. II. Muniat ipse, vel alius serìo pro concione omnes, ut dum adhuc fani sunt, mature per confessionem se cum

DEO reconcilient, & ita piè vivere studeant, ne gratia DEI excidant. III. Infectas ædes, nisi necessitas cogat, non ingrediatur; sed ægros si possint prodire, audiat sub dio, vel ad fenestras, aut foræ ædium. IV. Cùm necesse est ingrediad ægrum in ædes, vel etiam in conclave, consistat in remotore aliquo loco, & ex eo audiat Confitementem; si iste adhuc possit altiore voce loqui, & nemo aliis, qui id percipere possit, simul in eodem, vel vicino loco decumbat. V. Quodsi vel æger non possit amplius alcèloqui, vel alii simul audirent, tunc debet Confessarius ita propinquè accedere, ut æger in secreto confiteri possit. VI. Tamen si ex hac, &c, propter confessionem fortè longiore, diutius duratura propinquitate probabiliter timendum sit periculum contagionis, tunc potest pñnitenti dicere, ut unum tantum vel alterum peccatum, quod magis gravat, confiteatur in specie, & de aliis generatim se accuset; eumque statim absolvere. Imò non debet, nec potest audire integrè confessionem longam unius, si probabile periculum fit, ne interea alii sine absolutione emoriantur. Ut autem propterea æger non multùm affligatur, instruat illum, si necesse videatur, in talibus casibus etiam confessionem non integrā ad justificationis gratiam & fructum Sacramenti sufficere; & si morī contingat, eum coram DEO non minus fore perfectè absolutum, quam si omnia & singula minutissimè confessus esset; posse autem & debere reliqua tunc confiteri, cùm convaluerit. Sicut enim pñnitens non tenetur integrè confiteri, ita & Sacerdos non tenetur integrè audire; cùm propterea subeundum esset periculum vi-

R. S.
Trabili
Poenit.
E. M.
74

tæ, vel aliud grave damnum. Laym. Palaio ll. cc. Dian. p. 5. tr. 3. Ref. 74. cum aliis apud ipsum. vide sup. l. i. p. 3. n. 61. Unde jam VII. si æger in eodem conclave cum aliis decumbens velit ipse illis audiendis publicè confiteri. Sacerdoti, propter periculum contagionis remotius distanti, potest id licet facere, proferendo tamen unum tantum, vel alterum peccatum levius, quod nec ipsi infamiam, nec alias scandalum, nec ulli dampnum pariat. Atque hoc ipsum etiam ei suaderi potest, quando præsens est contagionis periculum; & post mortem illius Sacerdotis non haberent alii facilè copiam Confessarii. Potest enim cum hoc suo incommode velle servare vitam Sacerdotis tam necessari. Quodsi vero nolit, non est multum urgendum. Cum enim hic & nunc teneatur confiteri; non autem teneatur alio modo confiteri, quam quo Christus instituit, nimirum secretè; hoc ipsis etiam non tenetur per publicam confessiōrem impedire periculum Confessarii, & aliorum.

§. III.

*Quandonam in peste excusetur ab audienda confessione ali-
quorum?*

125. VIII. Ipse autem Parochus, vel ejus loco substitutus alius Sacerdos, quia, si in aliquo pago vel oppido pestifero sit solus, cavere debet, ut dictum est, ne, dum unius non graviter indigentis spirituali utilitati consulere intendit, plures alii ex ipsis morte graviorem spiritualem jacturam patiantur: ideo non facilè debet ministrare cum vita suæ periculo Sacramenta, quæ vel secundum se non sunt admodum necessaria; vel respectu perso-

narum, quarum bonum statum probabiliter cognitum habet, ed quod nuper (hoc est non pridem) earum confessiones excepterit. Quotiescumque ergo probabiliter sibi timerit periculum contagionis ab aliqua persona, quam verisimilibus conjecturis credit, vel non habere conscientiam peccati mortalis, vel per perfectam contritionem rectè ad moriendum dispositam esse, majus bonum publicæ necessitatis preferendum est utilitati alicuius privatæ personæ. Ita optimè Laym. lib. 2. tr. 3. cap. 3. n. 3. V. *Cavere.* Iisdem verbis docet hoc etiam Barbos. de off. Parochi. p. 2. cap. 17. n. 15.

Eandem sententiam dicit Tan. tom. 4. Diff. 7. q. 1. n. 62. esse probabilem expressis his conditionibus. 1. si Parochus moraliter præsumat, & pro certo habeat, ægrum esse bene dispositum. 2. si Parochus magnum & moraliter evidens vita periculum inde immineat; & 3. si solus fit; nec spes fit, post ipsius mortem facile posse alium haberi. Agit quidem Tan. ibi tantum de Extrema Unctione, sed sat's indicate, se sequi Suarezium, ita de Sacramentis in genere loquentem. Ade & Filliuc. qui apud Dian. p. 5. tr. 3. Ref. 93. ait, excusari Parochum à ministracione Sacramenti Poenitentia, quando certus esset moraliter, infirmum non habere conscientiam peccati mortalis, & alioquin periculum vita magnum esset ipsis subeundum.

Observa autem hic, quod Tannerus velit, periculum Parochi debere esse moraliter evidens; & Filliucius cum illo velit, de bono statu ægri debere moraliter certò constare; sufficiat tamen juxta Laym. & Barbos. si Parochus periculum proba-

bilis-

bilissimè timeat, & bonum statum ægri ex verisimilibus conjecturis credat: quodque Filiuc. absolute loquatur, sive Parochus sit solus, sive non; sive post illius obitum possit haberi alius, sive non.

Ex his facile colligi potest, an & quo modo Parochi, eorumque substituti tenentur alia Sacraenta pestiferis administrare; sed quia de iis agere non est nostri instituti, plura nou addimus. vide Dian. p. 5. tr. 3.

ARTICULUS II.

De obligatione Confessarii Pœnitentem instruendi.

126. Confessarius non tantum gerit officium Judicis, sed etiam Doctoris; ideo obligatus est pœnitentem ignorantiam aliquam damna laborantem instruere. Potest autem pœnitens vel ignorare ea, quæ sunt credenda, & scienda; vele a quæ sunt agenda, & omittenda.

§. I.

De rebus Fidei.

Si signoret, quæ sunt de necessitate mediæ explicitè credenda, debet Confessarius de iis illum instruere, quia antè non potest validè absolvere, cum adhuc fide careat, sine qua impossibile est, placere DEO. *Hebr. ii. v. 6.* De necessitate autem medii juxta communiorum D. Thomæ est jam in *Lege Gratiae* explicitè credendum Mysterium Trinitatis, Incarnationis & Redemptionis; juxta alios non paucos, nec improbabiliter apud S. v. *Fides*, n. 1. & Tan. tom. 3. *Diss. 6. q. 7. dub. 2. n. 44.* necessarium censetur tan-

tum credere explicitè, quod DEUS sit, & quod remunerator sit, præmia justis, pœnas injustis decernendo, & implicitè reliqua, seu quidquid credit Ecclesia, vide Tan. cit. dub. 2.

Ut ut sit, Confessarius rectè presupponere potest, quemlibet inter Christianos educatum, & annos discretionis adeptum scire saltem id, quod posterior sententia habet tantum pro necessario; & si quem advertat ignorare, potest facilè tunc statim ita eum instituere, ut sufficienter intelligat, & vera fide Divina credat; hoc est, ideo illi articulo assentiatur, quia DEUS, qui est æterna & infallibilis veritas, per Ecclesiam revelavit.

Sed neque difficile putat Tan. I. c. n. 48, cum aliis, hominem pleno rationis usu præditum etiam desuprà dictis tribus Mysteriis ita edocere, ut brevi confusam aliquam, sed tamen veram, de iis notitiam concipiat, & quoad substantiam intelligat, credatque, quod sit DEUS Pater, Filius, & Spiritus Sanctus; hi autem tres non sint tres Dii, sed Unus DEUS; & quod DEUS Filius factus sit etiam homo, humanumque genus per Passionem ac mortem suam redemit ab æterna damnatione. Eum autem, cui nullus verus sensus horum Mysteriorum in generari potest, ait Tan. I. c. n. 49. esse quoad hoc infantibus & fatuis accentendum.

Quod si pœnitens igrioret tantum alia Mysteria in Symbolo Apostolorum contenta, vel nesciat præcepta Decalogi & Ecclesiæ. Orationem Dominicam & Angelicam, spectantia ad pie suscipiendum Sacramentum Eucharistie & Pœnitentie, ac similia, quæ pro suo statu ex necessitate

K 3

cessitate